



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput I. Quæ de Pœnitentia, ut virtus est, solent huius dissertationi
præmittere Disputatores Scholastici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83707](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83707)

patientia. Dum hæc itaque animadverterem, & me occuparent timor mei, & aliorum commiseratio; Quid vero, dixi, deliberandum in hoc rerum discrimine, quid exequendum? Piissimus Dominus, ut Tridentini Patres agebant, cognoscens figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui se in peccati servitutem, & demonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Profecto, si deleantur hoc Sacramento peccata, avertetur supremi Judicis indignatio, ipsomet per os unius Prophetarum clamante: *Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Atque hæc, humanissime Le-

ctor, animum meum paulo ante languidum ac torpentem impellunt rursus & incitant ad scribendum; maxime quod Opus à me susceptum ad pertractandum de ipso Pœnitentiæ Sacramento, DEO adjuvante, processerit. Quoniam tamen Volumen istud prope ad aliorum molem accedit, nimiumque excresceret, si in eo comprehenderentur quæcunque de Pœnitentia dicenda sunt; ubi pertractavero de priore illius parte, nimirum, de Contritione, finem imponam, reliqua tomo altero profecturus. Neque enim vereor, quin interim cessent Dei flagella, & cæteri etiam pœnitentium actus protinus consequantur; si præcesserit vera detestatio peccatorum, & salutaris contritio.

CAPUT I.

Quæ de Pœnitentia, ut virtus est, solent huic dissertationi præmittere Disputatores Scholastici.

SUMMARIUM.

1. Nomenclatura Pœnitentiæ Latina.
2. Græca.
3. Definitio.
4. Infundere ab hæreticis impugnata.
5. Pœnitentia est vera virtus.

6. Etiam ex timore pœnæ &c. concipiatur.
7. Est virtus infusa.
8. Non dissentit Scriptura.
9. Differentia Pœnitentiæ quæ virtutis, & quæ Sacramenti.

1. Nomenclatura Pœnitentiæ Latina

NON una Pœnitentiæ vocabulo subest significatio. Grammatici enim Pœnitentiæ nomine intelligunt ipsum pœnitendi actum, quo aliquem facti pœnitet, sive quo aliquis dolet ob factum noxium, vel occasionis prætermissionem, quacunque ex causa huiusmodi dolor concipiatur. A *pœna* originem habet suam, à qua verbum *pœnitet*; quamvis Isidorus nomen derivet etiam à *punio*, quoniam *homo pœnitendo punit quod male admisit*; Pierius verò, ad stipulante Erasmo, velit pœnitentiam dici, quod *pœnè teneat*. Utimur autem pœnitentiæ vocabulo, cum ea, quæ consilio & voluntate facta sunt, incipiunt displicere; tamen antiquis *pœnitere* interdum idem fuerit, ac *parum videri*, prout observat Donatus in illud Terentii Eunuch. Act. v. sc. 7. *An pœnitebat flagitii, te auctore, quod fecisset.* Verum Theologi Pœnitentiæ nomine tria præsertim significant, nempe intimum doloris sensum ob perpetratum aliquod crimen, cum vitæ malè actæ expiatione & vindicta; quæ modo fiat in com-

penationem injuriæ DEO illatæ, constituit peculiarem virtutem: externum, sacrumque ritum, quo per ministerium clavium dimittuntur peccata; & hæc Pœnitentia est *Sacramentum*, de quo sumus disceptaturi; pœnam denique ipsam, vindictam scelerum, & injunctam resipiscenibus satisfactionem.

Habent & Græci voces suas ad exprimendum id, quod Latini significant nomine Pœnitentiæ, *Μετανοία*, *Μετάνειμα*, *Ἐξομολόγησις*, *Ἐξομολόγησις*, & *Ἐπιτήκειον*. *Ἐπιτήκειον*. *Μετάνειμα* idem sonat, ac *Resipiscencia*; nam est à *μετανοέω*, *ad mentem redeo*; atque Pœnitentiæ, ut virtus est, egregie nomen istud accomodatur. *Ἐξομολόγησις* idem significat ac Latine *Confessio*, & est à verbo *ἔξομολογέομαι*, *Confiteor*: quare hoc nomen, licet aliquando designet reconciliationem Pœnitentium, omnesque ipsorum actus, maxime in Epistolis Cyprianicis, & apud Tertullianum; propriè tamen commostrar *Confessionem Sacramentalem*. *Ἐπιτήκειον* denique idem est, ac *pœna*, seu *multa* peccatis debita;

3.
Definitio.

bita; derivatque ab ἐπιτιμία, sive ἐπιτιμῶμαι, interminor, vel reprehendo: ideoque aptissimum est hoc postremum vocabulum ad significandum supplicium, & tubeundam peccati animadversionem. Pœnitentiæ itaque priori significatione spectata, nihil est aliud, quam Virtus, qua commissæ nobis scelera detestamur, ac præmissa certa firmaque de liberatione pravæ consuetudines & corruptos mores emendandi, eadem scelera sponte vindicamus, in compensationem injuriæ Deo illatæ. Hæretici, qui negant opus esse, ut perpetrata scelera compensentur digna aliqua satisfactione, propterea quod autument impium justificari sola in Christum fiducia; contendunt etiam nihil aliud requiri ad veram pœnitentiam constituendam, præter melioris vitæ propositum, ac rectius proinde appellari *resipiscientiam* quam *Pœnitentiam*, cum hoc nomine importetur pœna aliqua, vel inflicta, vel sponte suscepta. Urgent quidam Recentiores ad hæreticos refellendos præmissum Græcum vocabulum μετανοίαν, eo quod μετανοεῖν idem sonet, ac *scelerum penas exigere*, productis versibus Aulonii ex Epigrammate XII. in simulacrum Occasionis, & Pœnitentiæ.

Sum Dea, quæ facti, non factique
exigo penas:

Nempe ut peniteat, sic Metanœa
voco.

4.
Ab Hæreticis infundatè impugnata.

Sed infirmum est argumentum peti- tum à sola nominis Græci etymologia; cum revera μετανοεῖν sit idem ac *resipiscere*, recedere à priori sententia, atque proprie, ut diximus, redire ad mentem. quod tamen minime juvat hæreticos; siquidem sese convertere, & ad sanam mentem redire, unde Metanœa nomen habet, est pœnitentium prior actus, quem consequuntur patratorum scelerum dolor, & vindictio: imo & his, cæterisque pœnitentium operibus ipsum Metanœa nomen tribuitur; unde & corporis inflexiones, aliaque mortificationis genera Metanœa dici solent, sed per synecdochen. Ita Theodoretus narrat nonnullos in Simeone Stylita numerasse 244. Metanœas, & S. Petrus Damiani refert Monachos fecisse pro uno fratre defuncto Metanœas septingentas. Verum de his legendi Novarinus, Suicerus, Morinus, & Dumortierius.

Fallâ hæreticorum opinio refutatur apertissimis Scripturarum sanctarum testimoniis, quæ pœnitentiam non solum per melioris vitæ propositum, verum etiam per culpæ detestationem, amaritudinem animi, criminumque punitio-

R. P. Berti Theol. Tom. VII.

nem describunt. Atque ut nonnulla ex multis producā, Isaias cap. xxxviii. 15. inquit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Joel 11. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.* Lucas 3. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Huc spectant pœnitentium opera, quæ sacri libri commendant, gemitus Davidis, jejunia & sordidatæ vestes Ninivitarum, lacrymæ à muliere peccatrice profusæ, humiliatio Publicani pectus tundentis, ac Petri post trinam negationem amarus fletus. Docent similia Ecclesiæ Patres: inter quos Nazianzenus Orat. xxxix. in Sancta Lumina Pœnitentiam appellat τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα, *Lachrymarum Baptismum*; & S. P. Augustinus epist. 153. num. 54. ad Macedonium, inquit: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecit, impunitum esse non sinat.* Verum de his plura ubi de contritione, & satisfactione pertractabitur.

Certum insuper est hanc Pœnitentiam esse veram propriamque virtutem, quemadmodum docent omnes Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 85. art. 1. Et enim pœnitentia nobis à divina lege præcipitur, juxta illud Matth. 111. 2. & Act. 111. 19. *Pœnitentiam agite: Pœnitimini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* At lex divina, cum sancta sit & immaculata, præscribit duntaxat actus virtutum. Deinde virtus definitur eo loci à S. Thoma habitus electivus secundum rectam rationem. Quid autem magis rationi consentaneum, quam detestari peccata, de iis dolere eo modo, quo dolendum est, propositam intentionem habere ea vitandi, & pro virium nostrarum modulo exhibendi summo Deo debitam satisfactionem? Pertinet ergo Pœnitentia ad veram propriamque virtutem, & quidem juxta Doctorem Angelicum art. 3. ejusdem quæstionis ad Justitiam, quatenus hæc inter Deum & creaturam locum habet: quamquam sunt, qui distinguendam putant rationem, quæ ad pœnitentiam ipsam trahit, adeo, ut si concipiatur pœnitentia ob offensam Dei summopere diligendi, spectet ad charitatem, & si oriatur ex injuria Deo illata, quam compensare satagat, ad justitiam: quod minime D. Thomæ repugnat.

Quid verò dicendum de Pœnitentia, quam in nobis excitat timor gehennæ, ac turpitudine peccati? Illam proculdubio inter veras virtutes con-

5.
Pœnitentia est vera Virtus.

6.
Etiam ea, quæ ex timore pœnæ concipitur.

O o 2

nume-

numerare debemus. Quamquam enim volumine quarto pag. 130. à nobis tradita est definitio illa virtutis, *Virtus est ordo amoris*, quæ utique definitio Augustiniana est, Augustini verbis contexta, & Augustinianæ doctrinæ munitis firmata; non tamen inde inferre quis potest, denegari à nobis veras, propriasque virtutes à charitate distinctas. In eodem quippe volumine iv. eodemque capite testati sumus dari plures virtutum supernaturalium habitus absque charitate, quod iterum asseruimus libro xxi. cap. 10. commostrantes veram ac supernaturalem fidem remanere in homine impio, ac rursus cap. 12. ubi adversus Novatores ostendimus timorem servilem esse bonum ac supernaturalem, atque inter dona Dei annumerandum, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod eidem timori sit adscribendum, Affirmavimus itaque, iterumque profitemur, & cuique forte hæc legenti declaramus, eo sensu à nobis virtutem locari in ordine amoris, quoniam etsi absque charitate virtutes sunt plurimæ, eæque actus suos bonos exerunt; debet nihilominus charitas iisdem virtutibus dare formam, ac perfectionem, illas ad finem suum dirigendo, ne inflatæ sint, aut recto ordine destitutæ; quemadmodum virtutes morales juxta ea, quæ scripsimus lib. xviii. cap. 3. non debent defecere ab incommutabili regula nobis indita. Hoc autem iisdem, aut consimilibus verbis in ipso iv. volum. pag. 132. 309. & 315. aliisque in locis absque ulla ambiguitate tradidimus. Idem ergo, eodemque sensu nunc affirmamus de Pœnitentia: quæ prout oritur ex Dei amore, & detestatur peccatum huic amoris contrarium, attinet ad charitatem, & ab illa elicitur, atque emanat; prout verò proficiscitur ex timore, aut ex ratione alia supernaturali, ad rationem ipsam redigitur; constituitque etiam specialem virtutem, quatenus in id incumbit & nititur, ut deleantur peccata præterita, & injuria illuta Deo compensetur. Sed undevis oriatur, & cujusvis generis virtus sit; ut habeat virtutis formam & complementum, ac sit recta undequaque, id est, non tantum in se spectata, verum etiam ex parte ejus, quem pœnitet, debet à charitate dirigi in finem suum. Hæc eadem est expressa doctrina S. Thomæ cit. quæst. 85. art. 2. ubi ait: *A charitate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo, sicut ab eo elicitus: & talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem, sicut dili-*

gere bonum, gaudere de eo, & tristari de opposito. Alio modo aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus; & sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus utpote ordinans eas ad finem suum, actus à charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.

Indubitatum quoque est Pœnitentiam esse virtutem infusam, & ex genere earum, quæ supernaturali adjutorio infusa. Spiritus sancti inspirantur, tamen ex parte nostri requiratur motus arbitrii, at dispositiones fidei, timoris, spei, ac dilectionis non absque gratia præveniente à nobis præmittendas, ut consequamur justificationem; quemadmodum scilicet. vi. cap. 5. & 6. docet sacrosancta Synodus Tridentina, atque nos itidem scripsimus lib. xix. cap. 4. Perspicue pœnitentiam ex Deo esse tradit divina Scriptura, cujus hæc sunt verba: *Converte nos Deus salutaris noster, Converte me & convertar, Postquam convertisti me, ego pœnitentiam, Gentibus pœnitentiam dedit Deus, Plal. 84. 5. Jerem. xxxi. 13. Act. xi. 18. Idem commostrant orationes Ecclesiæ, quibus Deum gratiarum omnium largitorem precamur, ut errantium corda respiciant, ut peccata nostra plangere valeamus, ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignetur. Hoc denique definit præcitata scilicet. vi. can. 3. Synodus Tridentina, confirmatque quidquid de necessitate gratiæ ad omnia opera salutaria contra Pelagianam, & Semipelagianam hæresim disputavimus.*

His nequaquam adversantur, quæ Zach. i. 3. leguntur: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & convertar ad vos;* quo loco abutebantur etiam Pelagiani apud Augustinum lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. v. Ibi enim num. 10. hæc reponit invictissimus Gratiæ Dei propugnator: *Talia ergo descripturis colligunt: quale est hoc unum, quod paulo ante dixi, Convertimini ad me, & convertar ad vos, ut secundum meritum conversionis nostræ ad Deum, detur gratia ejus, in qua ad nos & ipsi convertitur. Nec attendunt qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos: & Deus tu convertens vivificabis nos; & Converte nos Deus sanitatum nostrarum;*

7. Est virtus
re earum, quæ supernaturali adjutorio infusa.

8. Non dissentit Scriptura

Et hujusmodi alia, quæ commemorare longum est. Præcitatissimæ itaque Zachariæ verbis admonemur duntaxat libertatis nostræ, quam aliis posterioribus verbis ab Augustino productis confitemur gratia Dei præveniri; ut prælaudato capite s. sess. VI. pariter docuit Synodus Oecumenica.

9.
Differentia
Pœnitentiæ
quæ virtutis
& quæ Sa-
cramenti.

Multæ quidem instituuntur de virtute Pœnitentiæ quæstiones, inter quas præcipuæ sunt, quæ versantur circa ipsius pœnitentiæ necessitatem, circa remissionem peccatorum, & circa vim, qua bona opera reviviscunt. Sed quoniam hujusmodi quæstiones variis hujus libri capitibus sunt inferendæ; hoc unum in præsentia addam, quomodo Pœnitentia quæ est virtus, à Pœnitentia, quæ Sacramentum est, distinguatur. Igitur virtus Pœnitentiæ est dolor ac detestatio peccatorum, de qua modo diximus, sita in actibus & operibus Pœ-

nitentium, & quovis tempore hominibus, qui se mortali peccato inquinaverunt, ad obtinendam justificationem necessaria. Pœnitentia autem accepta secundo modo, est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, quo fidelibus post baptismum lapsis vere pœnitentibus & confessis vi clavium, & potestatis Ecclesiæ absolutio Sacerdotalis impenditur. Ex qua definitione obvia, & pervulgata apparet discrimen, de quo nunc agitur. Enimvero virtus pœnitentiæ tota ex parte pœnitentis se tenet; at Pœnitentiæ Sacramentum exigit præterea Sacerdotis judiciaria potestate præditi absolutionem. Pœnitentiæ virtus est Sacramenti hujus pars & materia, ut infra explicabitur. Illa inquit S. Thomas q. 89. art. 1. est gratiæ prævenientis effectus; istud vero causa efficiens gratiæ sanctificantis. Hac autem omnia ex proximis disquisitionibus perspicua fient.

C A P U T II.

Demonstratur adversus hæreticos Pœnitentiam esse verum Sacramentum à Christo institutum.

S U M M A R I U M.

1. Quid circa hoc hæretici antiqui?
2. Quid recentiores.
3. Puncta disputanda.
4. Pœnitentia est verum N. L. Sacramentum.
Probatur ex Scriptura.
5. Patribus.
6. Perpetuo Ecclesiarum consensu.
7. Objectiones hæreticorum
8. Solvuntur.
9. Differentia Pœnitentiæ à Baptismo ostenditur primò.

10. Secundò.
11. Quæ opponunt Sectarii.
12. Solvuntur.
13. Nova instantia
14. Confutatur.
15. Opponitur ultimò.
16. Sed responderetur.
17. Quando institutum Pœnitentiæ Sacramentum.
18. Qualis necessitas

1.
Quid circa
hoc Hæretici
antiqui?

INTER Hæreticos, qui primò negarunt Sacramentum Pœnitentiæ cum Bellarminus lib. 1. cap. 9. tum Doctores Scholastici recensent Montanistas, & Novatianos. Gaspar Juenin, Le-Droint, ac recentiorum alii sentiunt ab hoc errore hæreticos istos fuisse immunes, atque in eo tantum errasse. quod crederent aliqua solum, sed non omnia peccata posse Ecclesiæ potestate remitti, Ac de Montanistis hoc videtur asserere Tertullianus, qui de pudicitia cap. 2. ait mundari delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit; atque cap. 19. distinguit inter peccata graviora & exitiosa, quæ veniam non capiunt, ut homicidium, idololatriam, fornicationem, blasphemiam, & inter alia peccata leviora, quæ appellat quotidianæ incursionis, ut iracundiam, de-

tractionem, & prolatum temere juramentum. Atque istorum peccatorum veniam concedi Tertullianus addictus Montanistis existimat. De Novatianis etiam scribit S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 3. num. 10. Sed ajunt se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Cæterum S. Epiphanius hæresi 59. num. 1. ait Novatum affirmasse eum, qui post baptismum delinqueret, nullam posse consequi misericordiam, quod & affirmat S. Philastrius hæresi 82. & apud Photium Cod. 182. S. Eulogius Episcopus Alexandrinus, atque ipsemet Ambrosius, præced. cap. 2. num. 5. ubi ait Novatianos Stoicorum quodam more omnia peccata paribus aestimasse mensuris, & æque eum, qui gallum, ut ajunt, galinaceum, atque illum, qui patrem suffocaverit perpetuo cælestibus abdicandos mysteriis,